

9 + 10 / 85

KALENDIS OCTOBRIBVS

MCMLXXXV



RVMOR VARIVS



TOMUS 8

FASC. 55

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSIS in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	öS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	öS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes,

Nuper decrevi praefationes in posterum tempus non semper
forma illa vobis iam dudum nota prosaica, sed nova poetica,
quae est carminum, scribere. Quam enim artem scribendi
inter omnes maxime diligo.

Consilio capto chartam prompsi puram, nullis litteris vel
typis superscriptam, stilum inter labros dentesque digito
et pollice volutum revolutumque mordens, inscius et rei,
de qua scriberem, et modi recte scribendi. Postquam plures
horas animo maxime intento omnia scribenda conquisivi,
amicum nostrum Dr. Emanuelem Bernardum rogavi, ut me scri-
bentem aliquantum adiuvaret. Ecce, quae stilo utriusque
nostrum in chartam effusae sunt forma, nisi fallor, he-
xametrorum classicorum:



Rumoris Varii qui estis cari amici!
Hic est fasciculus ditissimus partibus ratis,
Quas operis socii Rumorem Varium edentes
Composuere vobis. Legitote illisque gaudete!
Sit mihi fas etiam - ne vos rogare obliviscar -
Quaerere nunc causas, quibus et vos non nisi raro
Symbola ficta iuvet scribenda nobisque mittenda.
Ne timidi! Potiusque ab Apolline petite laurum!
Nunc animis opus, haud dubium est, nunc pectore firmo!

Sumite iam stilos, audete scribere versus!
Ab Iove principium Musaeque et Apollo iuvabunt.
Mittite tum versus nobis, quos composuistis!
Laetos enim nos reddetis temptamine vestro
Et laudi damus omnia tibi, quae scribere audebis,
Care amice, atque in Rumore libello legeris.
Rumore in Vario quis enim neget esse honori
Scriptoribus sive auctoribus sua nomina dici?

Valete!

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann



Graecorum philosophorum sententiae

Epicurus dixisse fertur: "Ei, qui omnia necessitate fieri affirmat, non licet vituperare eum, qui omnia necessitate fieri negat. Concedere enim debet illud quoque necessitate fieri."

"Necesse est civitates tum perire", dixit Antisthenes, "cum bonos a malis non iam distinguere possunt."

Interrogatus ab aliquo, quomodo ad rem publicam adiret, Antisthenes respondit: "Neque nimis prope, ne aduraris, neque nimis procul, ne algeas."

Loquentem diutissime in colloquio Antisthenem Plato tacere iussit. Illo causam rogante Plato: "Optimus orationis modus non est orator, sed auditor."

Orationem longissimam in schola habente Platone Antisthenes dixit: "Non orator audientis modus, sed audiens oratoris modus est."

Rogatus, quid sibi philosophia prodesset, Plato respondit: "Ipse in malacia et serenitate caeli versans alios procellis agitados videre."

Aristippus, cum vidit iuvenem, qui domum meretricis intrans erubescit, dixit: "Intrare non est periculosum, sed non iam se eripere posse."

Cum Diogenes filium meretricis lapidem in multitudinem hominum iacentem videret, dixit: "Cave, ne forte patrem tuum icias."

* * * * *

Alicui dicenti: "Multi sunt, qui te irrideant" Diogenes respondit: "Certe, et illos asini forsitan irrideant; sed quantum illi asinos curent, tantulum ego illos curo."

Cum Thales dixisset mortem a vita non differre, aliquis rogavit: "Cur ergo non moreris?" Tum Thales: "Ideo ipsum, quia non differt."

Interrogatus ab aliquo, quid filium doceret, Antisthenes respondit: "Si vis eum cum deis vivere, philosophum esse, sin cum hominibus, oratorem."

Socrates dixisse fertur bonum regem illum solum esse, qui etiam sibi ipse imperare posset.

Socrates, cum videret hominem divitem et incultum, "En", ait, "pecus aureum."

Exprobrantibus civibus, quod saepius cum iuvenibus versaretur de sapientia colloquens, Aristippus respondit: "Vos quoque, cives, non veteres equorum, sed pullos equinos mansuefacientes video."

Interrogatus, quid sit difficile, Thales dixit: "Se ipsum noscere"; quid facile, "Alteri consilium dare"; quid gratissimum, "Propositum adipisci"; quid divinum, "Quid neque originem neque finem habet"; quid rarissimum, "Tyrannus senex."

Daniel Weissmann

Uxorem marito prudentiorem esse

haec fabula documento est

Feriae aestivae in prospectu erant. Uxor, animula mea, nimirum, ut consuevit, iamdudum consilia ceperat magnaue molita erat, ut denuo ferias in terris quam remotissimis ageret. Beata re vera non posse videtur esse nisi quam longissime a domo ferias agens. Ego contra nihil maius, nihil gratius opto quam feriarum tempore domi manere, animum relaxare, quietem mihi dare. Quae cum ita sint, uxori dixi: I sola, fac iter quam longissimum velis, sed me sine domi esse! Uxor respondit: Ibo, sed scio te non posse sine me domi remanere nisi valde dolentem, desiderio mei captum, neque ego minus tristis ero procul a domo sine te. Itaque vince te ipsum, persuade tibi, quaeso, veni mecum! Memento: experta loquor. Saepius abibam tuque solus remanebas, at paucis diebus post me sequebaris ineptus ad solitudinem tolerandam. Ergo praestat te una mecum proficisci quam paucis diebus post sequi me.

Quibus verbis uxoris pertinaciter restiti dicens: Numquam feriis procul actis gaudebam, ut scis. Tandem aliquando i sola, quaeso, habe rationem consilii mei, quod nunc mihi firmum stat. Praeterea marito vere viro uxoris semper cedere voluntati ignominiosum est.

Tum uxor: consilium, inquit, et voluntatem tuam decenter vereor, sed praescia futuri tibi dico te paulo post me secuturum; namque praesentem me abhorrere soles, absentem desiderare. Tu numquam et nusquam contentus condicione tua potes esse.-

Estne tibi persuasum, anima mea? -

Est persuasum. Ego te melius novi quam tu te ipsum. -

Dedecori mihi esset, si ita esset, ut dicis. Abi, corculum meum, proficiscere et videbis me domi mansurum neque te secuturum.

Uxor profecta est. Primum diem laetissimus peregi, secundum iam minus, et tertio die uxor me advocavit filo

aëneo (per Telefon) susurrans: Dulcissime mi, quid agis? Mihi dies longi videntur, tristis sum, quod tam procul abs te. -

Tristisne tu in feriis? interrogavi. Ego quidem tristior quam tu. -

Tu tristis, et me tristior? Ne rideam! Sed si vere me desideras, veni tandem! Hic omnia iucunda sunt, caelum placidum, mare recreans, societas grata, nitidissimae puellae, et omnes amici cottidie me interrogant, quando tandem tu huc adventurus sis. Veni, veni! -

Veniam, dixi, Lunae die proximo aëroplanum conscendere constitui. Exspecta me in aeriportu nomine "Dinard" sub octavam horam post meridiem! -

Splendide, pulcherrime! Magna laetitia me afficis. Nunc autem praebe aures et parato animo sis! -

Ausculto, quidnam est? An marsupium (Geldbeutel) amisisti, quod novitas iam non esset. -

Non marsupium, sed cista mea (Reisekoffer), quae aëroplano vecta est, nondum advenit. Identidem inquirebam in officio aëriportus, ubinam cista remanserit, sed adhuc nemo quicquam de cista scit. Aut furto subductam aut alio modo amissam aut aliud iter fecisse dixit praeses aëriportus. Magnis in angustiis eram sumque adhuc, cum res ad usum cottidianum maxime necessariae mihi deessent et desint adhuc. Coacta sum emere peniculum dentibus fricandis (Zahnbürste), cetera instrumenta ad corpus curandum, subuculam (Hemd), braculas (Hosen), calceamentum (Schuhwerk), teque oro, ut mihi afferas tunicam (Rock), palliolum (Umwurf), abollam (dicker Mantel), nonnulla sudaria (Taschentücher), quae omnia reperies in armario meo. Quibus rebus mihi vehementer opus est, noli oblivisci! - Animum confirma, corculum, nihil obliviscar! Nunc autem desine garrere filo aëneo, cum sit nimis sumptuosum! Colloquemur, cum advenero.

Laetissimus eram sermone cum uxore habito. Namque re vera ferias domi agere coniuge absente vix tolero. Solitarium et desertum me sentiebam nullo assistente, colloquente, ne rixante quidem. Praeterea volatu, quem in prospectu

habebam, laetabar Lutetiam Parisiorum et novem horis post Lutetia in oppidum "Dinard", quod situm est in pago Franciae, quem "Bretagne" appellant.

Lunae die proximo, ut constitueram, in aëriportu nomine barbarico "Kloten" aëroplanum conscendi et hora post in aëriportu nomine "Charles de Gaulle" descendi, cistam meam ingentem in umero portans, sudore mihi rivorum instar (wie Bäche) ex omnibus poris fluente. Attamen praetuli onus grave portare totum diem per stratas Lutetiae quam periculum facere eius amittendi, periculo cistae uxoris iam expertus.

Lutetiae nobis sunt amici habitantes in parte urbis, quae est remotissima ab aëriportu "Charles de Gaulle". Illos amicos visere in animo habui, consilio praeterea, ut cistam apud illos deponerem et onere liber aliquot horas per urbem ambularem, dico usque ad horam septimam, qua in aëriportu, qui "Orly" nominatur, aëroplanum conscendendum erat cursum oppidi "Dinard" petens.

Amici hospitalissimos se praeberunt, prandium copiosum et exquisitum cum gratissimo sermone nos delectavit. Postremo cistam deposui et abii ambulaturus per stratas Lutetiae promittens me ante horam sextam reversurum, ut cistam colligerem.


Et re vera iucundissime ambulabam, quin etiam nimis iucunde, ita ut horae obliviscerer, qua me reversurum promiseram.

Tandem aliquando, cum in ecclesia "Notre Dame" versabar, animadverti horam iam quintam adesse. Cucurri foras et taxiraedam (Taxi) et coenautocinetum (Bus) et ferriviam subterraneam (Untergrundbahn, Metro) quaesivi. Omnia frustra. Ferriviae subterraneae aliquid adversi acciderat, ita ut non advenerit ad stationem, ubi eam exspectabam. Desperare coepi. Tandem ausus sum amicos filo aëneo advocare, et illi amicissime responderunt se continuo ad ecclesiam "Notre Dame" vecturos cistam meam afferentes. Triginta minutis post re vera advenerunt meque ad stationem "Montparnasse" vexerunt, ubi coenautocinetum conscendi et in tempore ad aëriportum "Orly" adveni et me-

dia hora post per aëra volavi ad Oceanum Atlanticum versus (gegen...hin).

Plura de feriis meis in proximo libello apparebunt.

Emanuel Bernard



Aenigma

1. qui pulcherrimam omnium
feminarum rapuerit
2. homine moriente corpus
relinquit
3. umectat
4. effigies
5. filios

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

Hoc aenigma composuit

Daniel Weissmann

SOLUTIONES

aenigmatis illius maximi, quod in libello 7+8/85 proposuimus, hoc fasciculo praesente nondum demonstramus. Miramini, cur non demonstramus, cari legentes? Responsum vero vobis dare debemus, qui certamini solutionibus vestris inventis nobisque missis interfuistis! Certi enim sumus vos ardere sciscitantes, quis vestrum primum, quis secundum, quis tertium praemium ex aenigmate reportaverit! Cur ergo solutiones ilico non demonstrantur?

Quod aenigmati illi maximo adhuc quinque tantum legentes - recte legistis: quinque! - solutionibus missis nobis responderunt per litteras! Qua ex causa res ita se habeat, nescimus: Num erat dies ultima, qua solutiones mittendae erant, nimis brevi spatio posita? An erat illud aenigma tam ingeniose fictum difficileque solvendum, ut inter eos, qui id solvere conati essent, quinque legentes tantum solvere valuerint?

Quaecumque vera causa est:

Illud aenigma, quod priori libello proposuimus solvendum, semper valet! Solutiones ex eo inventae nobis semper mittantur; diem ultimam enim, ad quam solutiones vestras ex eo captas exspectabimus, novam constituimus: Quae nunc nova sunt Kalendae Decembres!

Si fortasse inter vos sunt, qui, cum libellum 7+8/85 iam abiecerint, certaminis aenigmatis solvendi his novis condicionibus participes esse velint: Scribite nobis alterum fasciculum 7+8/85 petentes, quo facilius intersitis certamini adhuc a quinque - heus! - legentibus inito. Valete!

Domus RVMORIS VARIi editoria

O feminae inconstantes, o mores morosi!

Mos muliebris morosus et inconstantissimus fuit per saecula. Varia exempla vobis, carissimis legentibus, offeram.

Quantum telae vestifica vestra requirit ad gunnam suendam? Nimirum minima est vis telae. Nulla autem est difficultas si, ut puto, in tabernam vestiariam itis vestem iam confectam (prêt-à-proter) empturae. Pro certo ignoratis gunnam adeptam amplitudinem maximam circiter annum MDCCCLXVum: septem metra et quinquaginta centimetra! Incredibile! Sed ineptias fugio res verissimas narraturus. Profecto vestes quibus opus fuit telae maxima copia iudicantur tuncia Graeca (chiton), rectangulum amplum tria metra et dimidium, longum ab umeris ad talos, lacerna Graeca (himation), quae in latitudinem III metra et L centimetra, in longitudinem sesquimetrum patebat, toga Romana, quae contra tantum in latitudinem patebat quantum figura, at ter staturam exsuperabat in longitudinem.

Quis vestrum non possidet saltem binos calceolos fulmentis altis - simis subtilium acuum instar praeditos? Omnes valde habetis. Sed X centimetra quae tantum mulieres iuvant statura brevi nihil sunt pro calceis femineis XVI et XVII saeculi! Qui tunc adepti summam altitudinem et Venetiis matronae ambulabant in soleis semimetrum spissis, famulis binis innisae. Aetate media iam viguerant, praesertim in Francogallia et Europa septentrionali, calcei viriles quibus pars extrema nimium prominebat. Cum matronis Venetiis certabant, exeunte saeculo XVIII^o, dominae quae Mariam Antoniam, Francogallicam reginam, circumdabant: eae dum in excelsis nutant fulmentis, in capite caliendrum erectum sive turrim capillorum monstrabant, quae metrum attingebat. Quod damnum per fores transire aut currum ascendere!

Quid dicam conum qui in capitibus femineis usque ad LX centimetra eminebat, a quo velamen pendebat ad pavimenta?



Quid maxime de excelsis cornibus quibus libentissime delectatae mulieres XV^o saeculo viventes, exemplum tenentes Isabellae, dominae Bavarensis, cui cornua ostendenti bovis cervive instar aulae fores late patebant? "Diaboli cornua" appellata sunt, sed diutius mulier 'cornuta' placuit.




II

Permultis mirum videbitur capitis oppexum simplicissimum simulque rarissimumque Aegyptium fuisse: nam Pharaos et omnes, nobiles servique, mimae ancillaeque, nudam faciebant calvam, cui radicitus tonsis capillis veris, tufam fictam, sed ingentem ponebant.

Nec insolentia morum hic terminum habet. Ab anno MDLXXX^o ad annum MDCXXXum per omnem Europam in more fuit, apud viros feminasque, magnum collare quod XXX aut XL centimetra patens et amylo firmatum cervices claudebat. Sed impotentissimum dominatum cultus habitus imposuit mulieribus cum

Catarina, nobilissima familia 'Medici' nata, vulgavit iussitque geri vestimentum intimum quod summe cinctum sive medium corpus astringebat ne mensuram XLV centimetrarum transiret, quem "cinctum vespae aut iunci" solemus dicere. Vae obesis dominis, macerrimae videndae erant omnes!



III

Quis vestrum, antequam domum relinquat, non pingit pallida labra purpurisso? Feminarum est fucus. Sed matronae Venetae, quae veraces erant arbitrae elegantiae, non solum os et collum, sed etiam mammas pingebat rubras et lineis caeruleis cursum venarum notabant!

Sed, si libet, in hunc fasciculum hactenus; reliqua differo in proximos libellos aut, si properatis scire alia 'miracula' cultus muliebris, mihi scribitote et vos e corde certiores faciam.

Imagines

Tria exempla cultus immoderati:


1. Conus celsissimus qui 'hennin' dictus est (saec. XV^o)
2. Gunna amplissima quae 'crinoline' Francogallice vocatur (anno MDCCCLX^o)
3. Syrma longissimum (cauda regalis vestis, ineunte saec. XX^o)

Florindo Di Monaco



Facete lepideque dictum

"Extemp(u)lo, quaeso, dirige instrumentum televisificum paululum "submissa voce", nam pater nunc pensum tuum scholare solvere conatur!"



"...nam pater tuus ipse umquam denuo pedibus meis limen intrare domus vestrae strictim mihi interdixit!"




* * * * *

Restat, ut dicam....

Alter: "Egomet autem re et veritate sex uti linguis possum!"

Alter: "Id sane profecto pro nihilo puto ducoque, nam egometipse quin etiam, restat, ut dicam, septem (in) linguis tacere possum!"

* * * * *



"Levigare, quaeso!"
(Bitte bügeln!)

Tam facillime esse posset

Quam facillime esset proximum nostrum diligere, si non tantopere (con)similem esset nobismetipsis!"

* * * * *

Epistula omnium exoptatissima


Epistula autem amatorie scripta omnium exoptatissima, quam scribere umquam possis amicae tuae, est chirographum librum seu infinitum (Blankoscheck)!"

* * * * *

Ut aperte dicam....

Rustica sive colona Bavarica simplex in officio registrationis (Standesamt) nuntiat indicatque mortem mariti eius. Officialis autem poscit authenticum mortis actum (amtlicher Totenschein) a medico confectum. Tum rustica: "Ille", inquit, "ut aperte dicam, penitus sine omni auxilio medici mortem obiit!"

AMICUS



Ab oppido condito....

Oratiuncula (Acroasis) AMICI, Turici in oppido ad Lindimacum fluvium lacumque Turicensem die Saturni - septima feria - II^o mensis Martii anno MDCCCCLXXXV^o habita.

De oppido Turico Helvetiorum condito atque de nominis huius oppidi vera significatione.

Ille terrarum mihi praeter omnes angulus ridet. (Quintus Horatius Flaccus (65-8 a.Ch.n.) Carmina II, 6,13)

Sodales, socienni, soldurii!

Occasione tam ardentem exoptata vehementerque cupita consessus hornotini Societatis nostrae Latinae Turicensis

die Saturni - septima feria -II^o mensis Martii MDCCCLXXXV^o, ab urbe condita verum tamen ante diem VI^m Nonas Martias MMDCCXXXVIII^o (bis millesimo septingentesimo tricesimo octavo), Turici in oppido nostro ad Lindimacum fluvium Lacumque Turicensem amoene sito locum habentis data atque Deo annuente et favente et iuvante oblata Vobis, o sodales spectatissimi, confoederati honoratissimi, quasi hodie quandam acroasim seu praelectionem brevem de rebus olim gestis antiquissimi oppidi nostri cui titulus "De oppido Turico Helvetiorum condito atque de nominis huius oppidi vera singificatione" proferre mihi licitum concessumque siet. Ita fiat, ratum esto!

Primum de origine oppidi, deinde de destinatione oppidi et stationis portorii, tum de origine significationis nominis oppidi Vobis omnibus probantibus, ut spero, explicabo.

Conditum autem est oppidum nostrum Turicum anno fere XV^o a.Ch.n. tempore belli Alpini qui dicitur ducibus Tiberio Claudio Nerone Iulio Caesare Augusto (42 a.-37 p.Ch.n.) Drusoque Iulio Caesare (37 a.-9 p.Ch.n.) fratribus, filiis Tiberii Claudii Neronis atque Liviae Drusillae, tum nondum iam perfecti. Tiberius Drususque fratres Vindelicos Raetiosque tandem devicerunt. In ripa sinistra Lindimaci fluvii in Aula Tiliarum hodierna exortum est oppidulum nomine Turicum, potissimum sicuti statio militaris. Nomen autem huius oppiduli tametsi originis est Celticae, non tamen oppidum ipsum est vetus oppidum Celticum. Post mortem Gai Octaviani Augusti imperatoris, filii Gai Octaviani Atiaeque, anno XIV^o p.Ch.n. statio militaris Turicensis (statio fortasse vexillationis legionis VIII^{ae} Augustae Argentoratensis) est dissoluta atque oppidulum Turicum posthac factum est colonia civilis cum telonio seu officio seu statione portorii, et quidem statione portorii Gallici. Designatio autem publica stationis illius portorii erat: Quadragesima Galliarum, Statio Turicensis. Supra Lindimacum fluvium pons ipse quoque erectus est eodem loco, ubi nostris diebus Pons Buleuterii seu Curiae municipalis, qui dicitur, situs est. Turicum etiam olim tempore saeculi secundi erat statio fluviatilis atque praefectura classis Romanae lacus Turicensis Lindimacique fluvii, pars autem

classis Romanae lacus Eburodunensis (Neuenburgersee), quae Eburoduni (Yverdon) praetorium habebat.

Designatio autem stationum portorii olim facta est secundum summam vectigalium seu porteriorum impositam, exempli gratia 2 1/2 % (binae et semis centesimae) = quadragesimam partem, 5 % (quinae centesimae) = vicensimam partem, 25 % (vicenae quinae centesimae) = quarta mercium.

Idcirco stationes portorii Romani etiam aut quadragesimae aut vicensimae et simili modo nominabantur. Erant antiquis temporibus stationes portorii, quarum maior pars quadragesimae nominabantur, enim hae:

primum: Quadragesima Galliarum (abbreviatio: XXXX) cum praefectura Luguduno (trium Galliarum),

deinde: Quadragesima Bithyniae cum praefectura Nicomedia in oppido,

tum: Quadragesimae duarum Hispaniarum (Hispania citerior Tarraconensis atque Hispania ulterior Lusitania Baeticaque) cum praefectura Tarracone in oppido,

tum: Quadragesima portuum Asiae cum praefectura Epheso ad Caytrum in oppido,

tum: Publicum portorii Illyrici utriusque (portorium Illyrici atque portorium ripae Thraciae) cum praefectura Poetovione ad Dravum in oppido Pannoniae, ubi castra stativa erant legionis VIII^{ae} Augustae, legionis V^{ae} Macedonicae atque legionis XIII^{ae} Geminae Severianae,

denique: Portoria orientalia:

a) Portorium Zeugmatis ad Euphratem, ubi castra stativa habebat legio IV^a Scythica,

b) Portorium Durae Europi ad Euphratem,

c) Portorium Palmyrae (seu Tadmoris),


d) Portorium Leucaee Comae ad Mare Rubrum.

postremum: IV Publica portorii Africae sum praefectura Carthagine in oppido.

Praefectura autem Quadragesimae Galliarum, ad quam statio portorii Turicensis olim pertinuit, locum habuit Lug(u)duno (trium Galliarum) in oppido ad Rhodanum Ararimque. Nomen oppidi nostri Turici - de quo iam supra commemoravimus - est penitus origine Celticum. Verbum etenim Celticum "dur" significat aqua aut flumen. Turicum consequenter est oppidum ad flumen situm. Verbum idem "dur" insuper etiam in nominibus "Thur(ius)" fluvius, id est flumen, quod in Rhenum flumen influit, atque "Thurgovia", (pagus Thurgoviensis, loca circum fluvium Thurium sita) inesse certum exploratumque est.

Nunc satis id, sodales confoederatique, quod erat propositum, demonstrasse videor. Haec autem habui de his rebus gestis Turici nostri antiquissimi quae Vobis, socienni, dicerem. Dixi!

AMICUS



**DE TRIBVS POPVLIS OBLIVIONI TRADITIS SIVE:
VBI EST BALTICVM?**

Quis vestrum, cari legentes, ubi sit Balticum vel quales sint populi Baltici, sine ulla mora dicere poterit? Fateamur nos eorum populorum oblitos esse neque eos curare, quippe qui longe a nobis distent neque appareant in commentariis diurnis nisi raris temporis momentis.

Nihilominus eo anno 1985^o p.Chr.n. praecipue memorandi et in mentes nostras revocandi sunt, quod iubilaeum speciale et triste his diebus "celebrant", iubilaeum enim status servitutis iam 45 annos durantis.

Anno 1940^o inter duos dictatores crudelissimos, Adolphum Hitlerum Germanum et Iosephum Stalinem Sovieticum, ictum est foedus ea condicione, ut Germani Poloniae partem occidentalem, Sovietici vero partem orientalem et tres civitates Balticas ex anno 1918^o liberas occuparent. Foedere isto vix icto exercitus ruber, qui dicitur, fines transgressus Balticas gentes subiecit et tyrannidem intolerabilem erexit. Exempli gratia multi homines indigenae in Sibiriam deportabantur, inter quos imprimis religioni adhaerentes. Cum vero Hitler postea foedus violavisset Russiamque esset aggressus, civitates Balticae, i.e. Lituania (1), Latiovia (2), Estonia (3), occupationem Germanicam pro Sovietica per paucos annos subibant. Quamvis et illa non facilis esset toleratu, tamen non conferenda erat cum furore Sovietico.

Bello autem mundano secundo ad finem vergente Sovietici iterum in Balticum irruerunt Germanos cladi ingenti iam destitutos fundentes et propulsantes. Nunc nemo iam Russis effugere poterat, qui se crudeliores et saeviores gerebant quam antea: Estorum, Latioviorum Lituaniarumque permulti in regiones milia chiliometrorum a patria sua distantes trahebantur, pro quibus multi Russi in tres civitates immigrabant, ut religio, linguae, mores "russificarentur" et communismus populis implantaretur.

Quibus hodie condicionibus vivunt tres populi Baltici? Quos spectemus singillatim primum:

In Lituania, quae poterat optime trium identitatem suam nationalem retinere, circiter 80 % (lege: octoginta

centesimae (sc. partes)) incolarum sunt Lituaniae atque catholici. Numerus incolarum est circiter 3'410'000 (lege: tres milliones quadringenta milia). Quorum urbs princeps est Vilnius.

Latviam circiter 2'522'000 incolarum inhabitant, quorum sunt 57 % tantummodo Latvii atque 30 % iam Russi. Latviorum plerique religioni Luthericae inhaerent excepta magna minoritate catholicorum. Urbs princeps est Riga.

Estonia denique, cuius incolae lingua quadam non indoeuropaea utuntur, a circiter 1'469'000 hominibus incolitur, quorum 68 % sunt Esti et 25 % Russi. Reval vel Tallinn(ium) urbs est Estorum princeps. Omnes fere Estorum religioni Luthericae dediti sunt.

Libertas hominum Balticum inhabitantium sicut omnium imperio communismi scelesti subactorum exigua est. Quisquis regimen Sovieticum vel factionem communisticam omnipotentem verbis tantum aggredi ausus erit, subito poenis durissimis tradetur. Eos praecipue vigiles Sovietici persequuntur, qui vel libertatem et independentiam civitatum Balticarum, i.e. patriae suae, postulent vel fidem religiosam palam exercent. Vetatur enim lege Sovietica religio exerceri et exigi extra muros ecclesiarum, vetantur liberi religiose educari, disciplina Christiana in scholis doceri, caritas erga egenos fieri, templa nova vel simulacra construi, cum marxismus religionem quampiam superstitionem aestimet atque funditus esse extinguendam. Primores, velut Marx et Lenin, vana crediderunt superbia eam ultro disparituras, at cum adhuc numerus fidelium in terris communisticis habitantium non sit minutus (immo auctus!), dolo et vi, ferro ignique fides supprimitur.

At iam audio clamantes multos vestrum: "Sile, o bellator frigide! Ficta sunt, quae modo lecturi sumus. Condiciones

Christianorum in civitatibus orientalibus viventium non tam mala sunt, quam dicis. Ceterum Sovietici non sunt lacescendi, ne detensio (4) atque negotia nostra cum eis periculo supponantur." Tali modo et permulti commentarii diurni nostri iudicant, quod eorum redactores imaginari nequeunt, quot, quantis qualibusque crucientur tormentis physicis et psychicis, quicumque non plane consentiant et concinnent regimine communistico. Multo facilius est iurum hominum violationem accusare actam in Africa Meridiana vel in Chilia vel ipsa in patria nostra Helvetica (quam dementiam!). Ergo afferam necesse est nonnulla exempla, quae ego non mente finxi, sed quae acta sunt vel aguntur cottidie in civitatibus Balticis.

- Janis Rozkalns Lativius ob eam solam causam, quod possidebat scripta religiosa et aperte confitebatur fidem suam Christianam, captus, damnatus ac incarceratus est procul patria sua in oppido quodam Perm vocato et sito in Sibiria. Non solum ab uxore et liberis separatus, sed etiam carceri illatus est sordidissimo ac insectis abundantanti neque calefactione instructo foris frigore gravi regnante. Quibus aegrotum factum condicionibus Janim frustra postulantem nullus visitavit medicus. Secundo tantum quoque die cibus ei praebetur (est enim et hodie captivus!) ac copia vix ad vitam necessaria.

- Alfonsas Svarinscas et Sigitas Tamkevicius sacerdotes catholici Lituaniae anno 1983^o incarcerationis sex annorum et exilii quattuor annorum sunt condemnati propterea, quod membra erant "Societatis iuribus Christifidelium provehendis et defendendis" neque cedebant minis magistratuum publicorum communisticorum (ne obliviscamur libertatem fidei et conscientiae esse partem integram constitutionis Sovieticae!).

- Janis Barkans Lativius anno 1978^o die quodam vexillum Latvicum domui affixit ignarus hoc factum initium fore tormentorum et dolorum non effabilem. Primum valetudinario psychiatrico illatus est, deinde carceri, ubi primo

iam die custodes eum plagis tractaverunt permultis. Laborandum ei erat durissime et diutissime (sedecim horas cottidie!). Captivis propter inopiam cibi intertrimenta (5) perquirenda erant neque raro fiebat, ut herbis vermicibusve vescerentur! Janis per multas noctes nil aliud somniabat nisi quomodo panem acciperet.

Die quodam desperatione maxima adductus carmen scripsit verba continens haec: "Pereat communismus!" Eodem die a custodibus pugnis et calceamentis ita tractatus est, ut cranum frangeretur. Abhinc cottidie simili fere modo cruciabatur per quindecim dies partim a custodibus, partim ab aliis captivis propter scelera quaedam condemnatis, quibus libertas erat promissa, si modo Janim quam crudelissime tractarent! Denique omnibus ex corporis partibus vulneratus, sanguinolentus fractusque corpore et animo mortuus habitus et e cellula (vel potius foramine) portatus est. Sed vivit et hodie neque scimus, quando ad finem vergant tormenta eius.

Quid ultra addam? Iudicate ipsi, cari lectores, qualis sit vita humana regimine communistico recta! Unum quidem adiciam: Non hominibus tantum Balticum incolentibus vi persuadetur, ut boni communistae sint, sed etiam linguae Balticae rarae et pulchrissonae interitus condemnatae sunt, id, quod nos linguarum amici omnium valde deplorare debemus.

Invoco vos, amici carissimi: Nolite oblivisci populorum Balticorum! Vivant Lituania, Latvia, Estonia!

Martinus Meier


- | | |
|--------------------------|-------------|
| (1) Lituania,-ae f. | Litauen |
| (2) Latvia,-ae f. | Lettland |
| (3) Estonia,-ae f. | Estland |
| (4) detensio,-onis f. | Entspannung |
| (5) intertrimentum,-i n. | Abfall |

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!



AZ

8050 Zürich

9 + 10 / 85

KALENDIS OCTOBRIBVS

MCMLXXXV



RUMOR VARIUS



Rumor Varius
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

TOMUS 8

FASC. 55